MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80342-6

AUTHOR: SCHLITTE, FRIEDRICH

TITLE: DE GAIO JULIO CAESARE .....

PLACE: HALAE

DATE: [1865]

Master Negative #

91-80342-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87016
ES Schlitto, Friedrich, 1843-
De Caio Julio Caesare grammatico; dissertatio inauguralis philologica quam... publice defendet auctor Fridericus Schlitte... Halae, formis Ploetzianis, [1865]
36 p. 21½ cm.

Thesis, Halle, 1865.

373.2-4

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9-12-92 INITIALS M.DC.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE GAIO JULIO CAESARE GRAMMATICO.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXVIII. M. NOVEMBRIS A. MDCCCLXV.

HORA XII.

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRIDERICUS SCHLITTE,

NORDHUSANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

H. C. F. GOLDMANN, CAND. PHIL.
A. PETER, CAND. PHIL.

HALAE,

FORMIS PLOETZIANIS.

Ad Latinam linguam conformandam atque excolendam ab antiquissimis temporibus plurimum valuerunt studia grammatica, quae exercere sese non indignum putaverunt quum alii viri gravissimi et memoratu dignissimi tum Romanorum facile maximus G. Julius Caesar, qui ut reipublicae Romanae et totius fere terrarum orbis, annorum et dierum, ita linguae Latinae exstitit legumlator. Ut Caesaris studia grammatica illustremus, opus erit de universa ejusmodi studiorum ratione brevi disserere linguae natura et aliorum studiis adumbratis. Propria et fere singulari indole linguae Latinae factum est, ut per tria saecula, inde ab anno urbis 400 usque ad a. 700, usus loquendi non esset firmus neque constans, sed ut semper semperque fluctuaret ac mutaretur, id quod Romanos impulit, ut certae ac constanti legi normaeque statuendae operam darent. Atque antiquissima Romanorum studia maxime, quum primum interesset, ut soni obscuri atque indefiniti quam accuratissime litteris exprimerentur, ad orthographiam spectabant. Primus modo scribendi emendando operam dedit Appius Claudius Caecus consul 447 et 458 a. u. c., quem R pro S in verbis ut, Valesius Fusius scribendum Pomponius (Leg. I, 2. §. 36.) testatur induxisse — „invenit,“ quod legitur, Pomponius fontem suum haud recte interpretatus scripsit. Quamquam locus est corruptus, non est cur totam rem fictam falsamque putemus, ita potius se habet: Romanis duo erant S, durum et molle; jam quum lingua magis magisque mutata S molle inter duas vocales positum semper semperque propius ad R accederet et per quoddam tempus sonus inter utrumque medius pronuntiaretur, ut difficile esset distinguere, tum temporis R magis audiri coepit: quae postquam pronuntiatio jam per quoddam tempus aberrasset a consuetudine scribendi, quae servabat veteres formas summa fide, scripturam cum pronuntiatione conciliavit vir nobilissimus et auctoritate florentissimus. Miro igitur modo congruit hoc cum Ciceronis loco (Ad. Fam. IX, 21.),

qui tradit, L. Papirium Crassum a u. c. 415. dictatorem „primum Papisium vocari desitum esse,“ si statuimus, quod omnino est consentaneum, per triginta circiter annos in ejusmodi verbis pronuntiatum esse R, priusquam litteris est consignatum.

Post Appium Claudium de lingua meritus est ludimagister, Spurius Carvilius, Rugae libertus, qui vixit tempore Livii Andronici: Carvilium G litteram invenisse narrat Plutarchus (Quaest. Roman p. 277D. Ed. Frcf.), cum quo consentit Terentius Scaurus, etsi nominis formam exhibet corruptissimam ‚Carrutius' (p. 2253 Putsch.). Quum antiquissimo tempore sonus enuntiaretur inter C et G medius et ad hunc scribendum uteretur Γ Graeco paullum incurvato ‚C', orta postea pronuntiandi differentia notabatur linea ad C addita ‚G'. Hoc jam ante Carvilium factum esse, antiquissimae demonstrant inscriptiones, in quibus legitur G. Verisimile igitur est, Carvilium litterae G jam inventae locum dedisse in ordine litterarum, quem antea habuit Z, inter F et H: id quod optime convenit ludimagistro elementa docenti. Post hunc Q. Ennius optime meritus est de lingua Latina qui versu hexametro inducto linguam jam depravatam ac magis magisque certa distinctione formarum destitutam cursu deflexit et omnem scribendi et pronuntiandi rationem mutavit. Quum ad usum hexametri ei opus esset certa syllabarum quantitate, eo quod consonantes geminabat — quod ante eum non factum est — certam normam induxit[1]. Scipionem Africanum E post V pro O scribendum induxisse — ‚vertere' pro ‚vortere' — tradidit Quintilianus (I, 7). Mutatum pronuntiandi modum primus scriptura notavit vir clarissimus. De Accio poeta sic refert Scaurus (p. 2255 Putsch.): „Accius geminatis vocalibus scribi natura longas syllabas voluit.“ Scripsit igitur ‚AA EE VV', pro ‚II' autem ‚EI' (Marius Victorin. p. 2456 Putsch.), O omnino non geminavit; vocali ‚A' ‚K', ‚V' ‚Q' praeposuit, praeterea semper C scripsit. Accio adversatus est Lucilius poeta, cujus liber saturarum nonus tractabat de orthographia. Apud Scaurum (p. 2255 Putsch) versus quidam leguntur, quibus pugnat contra vocalium geminationem et contra omne I longum per EI scribendum ostendit-

[1]) cf. Festus s. v. solitaurilia.

que discrimen esse inter I pingue et I tenue: ac Lucilii doctrina superavit, cf. Velius Longus p. 2220 Putsch. Omnia haec studia ab Appio Claudio usque ad Lucilium ad orthographiam et ne ad universam quidem pertinent, sed ad singulos ejus locos, certae de universa conjugatione et declinatione doctrinae vestigium invenimus nullum, etsi consentaneum est et nobis traditum, quosdam scriptores alias nonnullorum verborum formas et ipsos scripsisse et scribendas praecepisse, alias contempsisse et improbasse. Apparet etiam ex eo, quod saepissime afferunt veteres grammatici, nonnullos poetas principium aequabilitatis cujusdam sequutos usum loquendi mutasse et correxisse; quod poetarum studium etsi gradum esse grammaticae agnoscit Varro (d. L. L. V, p. 19 Spengel), longissime tamen abest a certa perfectaque doctrina. Cujus poetarum studii exempla extant multa: primus usum loquendi ex ratione quadam videtur mutasse Livius Andronicus, cujus locum servavit Priscianus (p. 280—81 Hertz): „seque in alta maria praecipem dedit,“ quocum est conferendus locus Charisii (p 120 Keil): „ancipes“ veteres cum ratione dixerunt.“ cf. p 144 Keil. Priscianus (p. 229 Hertz) locum affert Naevii: „ignoti iteris sumus, tute scis“ qui demonstrat, secundum analogiam quamdam declinasse Naevium, quum ‚iteris' genetivum in usu invenire non posset. Ennium ex ratione mutasse testatur Varro (d. L. L. IX p. 535 Spengel) qui memorat Ennium ‚solui' pro ‚solitus sum' scripsisse. Ut Naevius, ita Pacuvius „‚hujus iteris' dixit“ (Charis p. 83 Keil.). De Plauto Priscianus dicit (VI, p. 224 Hertz.): „sed Plautus hoc quoque secundum analogiam declinavit“ et de Accio Naevio Ennio (X p. 517 Hertz.): „et videntur hi rationabilius protulisse“ quo loco „rationabilius“ nihil aliud significat, quam „secundum analogiam“. Quamquam his in stadiis illustrandis analogiae saepius et a nobis et a veteribus gramaticis notio est usurpata, nullo tamen modo putandum est, illos viros analogiae et nomen et rationem novisse, quam posteriore demum tempore a Graecis excultam ac deinde Romam translatam esse constat, ut paullo infra demonstrabitur. Haec sunt initia grammaticae Latinae, quae sibi, non Graecis debent: ejusmodi quum studia sine certa ratione ad cujusque arbitrium exercita ad singula modo verba et formas

pertinuissent, primus Caesar principio a Graecis translato, perfectiore, immo absoluto facto, ad universam linguam conformandam usus est libro proprie conscripto. Tractabo ita de Caesare grammatico, ut primo totum libri consilium et argumentum percenseam, deinde ut fragmenta illustrem et doctrinae vestigia in scriptis, quae adhuc extant, indagem, denique ut de studiis ejus orthographicis agam, plane autem omittam de syntaxi agere, de qua alio loco erit dicendum, quippe ad quam non pertinuerit Caesaris doctrina scriptis consignata.

Veterum scriptorum testimonia de studiis Caesaris grammaticis extant haec;

Sueton. Caes. c. 56: „Reliquit et de Analogia libros duos et Anticatones totidem ac praeterea poema, quod inscribitur „Iter." Quorum librorum primos in transitu Alpium, quum ex citeriore Gallia conventibus peractis ad exercitum rediret, sequentes sub tempus Mundensis proelii fecit...." —

Cicero Brutus c. 72: „Quin etiam in maximis occupationibus ad te ipsum, inquit in me intuens, de ratione Latine loquendi accuratissime scripserit...." —

Quintilian I, 7, 34: „Aut vim G. Caesaris fregerunt editi de Analogia libri?" —

Fronto p. 203 ed. Rom.: „Fac memineris et cum animo tuo cogites G. Caesarem atrocissimo bello Gallico quum alia multa militaria tum etiam duos de analogia libros scrupulosissimos scripsisse inter tela volantia de nominibus declinandis, de verborum aspirationibus et rationibus inter classica et tubas." —

Joann. Saresb. Metal. I, 21: „G. Caesar de Analogia libros edidit...." —

Scripsit igitur primus Romanorum Caesar duos libros ad universam „rationem loquendi" spectantes, quos inscripsit ‚de analogia'. Jam qua ratione ita libros inscripserit Caesar et quid velit significare ‚analogia', opus est quaerere. Analogiae vocabulum et notionem accepit a Graecis, quorum ad studia grammatica plurimum valuerunt *ἀναλογία* et *ἀνωμαλία*. Nam quum Stoici de linguae natura investigantes statuerent, anomaliam omnino ad linguam valere, vocabulum anomaliae primus videtur usurpasse Chrysippus, cujus libros memorat Diogenes Laertius

ita inscriptos: „*Περὶ τῆς κατὰ τὰς λέξεις ἀνωμαλίας πρὸς Δίωνα*, quos sex fuisse numero testatur Varro (de L. L. IX, p. 457 Spengel). Posteriore demum tempore analogia certam accepit notionem, quum grammatici Alexandrini id solum spectantes, ut Homeri aliorumque libros emendarent atque corrigerent, omissa quaestione de natura linguae, primo haud ita distincte, exortae tamen decursu contraversiae semper semperque arctius definientes principium recensendi statuissent analogiam. Ita inter hos et eos, qui sequuti sunt Stoicos, Cratetem ejusque discipulos vehementissima facta est disceptatio, quae per duo saecula non intermissa principiis invicem se debilitantibus ac denique quodammodo reconciliatis — nam ut *κανών* analogiam, ita *κανόνες* anomaliam demonstrant — genuit grammaticam propriam. Aristophanem librum de analogia scripsisse injuria collegit Nauckius (Arist. Byz. Frgt.) ex loco Varronis (X p. 582 Spengel): „proportione dicuntur ut „bonus malus, boni mali," de quorum analogia Aristophanes et alii scripserunt": non est cur hoc in proprio de analogia libro scriptum esse putemus, quum de horum verborum ratione occasione quadam data agere posset. Huc accedit, quod illa analogia est non verborum formae, sed notionum cum formis, ut demonstrat locus Varronis X, 3, p. 575 Spengel: „in tertio ab utroque" (id est: „a natura et a verbo rei imposito"[1]). Aristarchi analogia constat ex duobus articulis: Schol. *Γ*, 198: „*οἰῶν ὡς αἰγῶν*;" perfectae autem analogiae velut proportioni opus est quatuor articulis, qualem primus statuit Ptolemaeus Ascalonita: „*οἶς*: *αἶξ* = *αἰγῶν*: *οἰῶν*" respectu accentus, numeri syllabarum rel., non significationis habito, de quibus analogiae conditionibus accuratius tractaverunt certosque earum numeros statuerunt posteriores grammatici.

Grammaticam Graecam transtulit Romam Crates (Sueton. de ill. gram.[1]): cujus tamen principia apud Romanos aut nunquam radices egisse aut brevi tempore evanuisse, ex eo apparet, quod clarissimi Romanorum grammatici Aristarchi ratio-

---

[1]) cf. Varro de L. L. X, p. 580 Spengel: „tertium quod in utroque" et X, p. 582. Spengel: „tertium..... de quorum analogia et Aristophanes.."

nem sequuti sunt imprimis Caesar et Varro. Utriusque studia grammatica in ipsius controversiae tempus incidunt, Varro pugnat adhuc contra anomaliam eamque omni modo refellere studet, Caesar, etsi decem annis ante scripsit — a. 709 Varronem libris de L. L. elaborandis operam dedisse apparet ex Ep. ad. Att. XIII, 12. Acad. post. I, 1, 2. — jam dijudavit atque disceptavit, anomaliam omisit refutare analogiam tamquam absolutam normam ac regulam linguae constituens. Quae quum differant inter Caesaris et Varronis doctrinas, multa tamen vestigia similitudinis inveniuntur, de quibus et de universa ratione, quae inter utriusque disciplinas intercesserit, infra docendum est. Definitio certa analogiae apud Caesarem non extat: quum in universae qualis tum temporis a Graecis erat exculta analogiae notione non multum discessisse eum a Varrone probabile sit, hujus locum ex verbi significatione respectu certarum analogiae conditionum non habito eam solum tamquam ex quatuor constantem articulis proportionem definientem afferre liceat: „ex eodem genere quae res inter se aliqua parte dissimiles rationem habent aliquam, si ad eas duas res alterae duae allatae sunt, quae rationem habeant eandem, quod ea verba bina habent eundem λόγον, dicitur utrumque separatim ἀνάλογον, simul collata quatuor ἀνάλογα.“ (de L. L. X, 3, p. 565 Spengel). Quamquam hanc sententiam Varronis haud longe a Caesare abesse putamus, verumtamen eos de certis analogiae rationibus et conditionibus in diversa abiisse tum ex iis quae supra diximus tum ex hoc quod infra disputabimus luculenter apparet. Varro libro VIII de iis, quae contra analogiam dici possint, agens in medium profert quaestionem utilitatis; „ad quam perveniat lingua, si sit aperta....“ (d. L. L. VIII, 11, p. 410 Spengel) et ex eo, quod etiam consuetudo, ex qua originem ducat anomalia, apertam reddere possit orationem, colligit non opus esse ad utilitatem analogia. Ita etiamsi non repugnant inter se apud Varronem utilitas et analogia, nihil tamen iis est commune, apud Caesarem vero miro et singulari modo consentiunt et congruunt. Quum ad utilitatem potissimum spectet, ut diversae significationis vocabula discreta sint sono ac forma, quo quum aperta fiat oratio, Caesar significationum eum verbis analogiam statuens hoc prin-

cipio ad summum fastigium evecto discretiones fecit et declinationis et scripturae subtilissimas et ad totius linguae perspicuitatem utilissimas.

Quam rationem inter analogiam et consuetudinem statuendam censeat, paucis exonit Varro l. IX. c. 12. quare qui ad consuetudinem nos vocant, si ad rectam, sequemur; in eo quoque enim est analogia: si ad eam invitant quae est depravata, nihilo magis sequemur,“ et l. X, c. 4, (p. 586 Spengel): „Analogia est verborum similium declinatio similis non repugnante consuetudine communi,“ hanc nequaquam sequutum esse Caesarem apparet, cujus ingenio magis fuiset idonea definitio haec: „Analogia est verborum similium declinatio similis emendans consuetudinem communem.“

Jam quum in declinatione potissimum analogiae ratio se ostendat, Caesaris studia maxime ad declinationem pertinent et posteriore tempore totus de declinatione (et conjugatione) locus „de analogia“ usurpatus est. Cf. Vossius de Analogia I, 1. Ex Graecorum grammaticorum numero Didymus librum conscripsit Περὶ τῆς παρὰ Ῥωμαίοις ἀναλογίας[1]). Inter Caesaris et Varronis aequales anologiam sequutus esse videtur Antonius Gnipho, „qui robur quidem et ebur atque etiam marmur fatetur esse, verum fieri vult ex his robura, ebura, marmura“ Quint I, 6. Quae posterioris temporis scriptores de analogia disputaverunt, nihil pertinent ad Caesaris doctrinam: satis igitur sit nonnullos Quintiliani, qui libri primi capite sexto de analogia tractat, locos attulisse: „Analogia praecipue, quam proxime ex Graeco transferentes in Latinum proportionem vocaverunt. Ejus haec vis est, ut id quod dubium est ad aliquid simile, de quo non quaeritur, referat, ut incerta certis probet.“ Qui locus omnium quos apud veteres legi distinctissime exponit indolem ac vim analogiae tamquam proportionis vel comparationis communem loquendi usum emendantis atque conformantis.

Quum de tempore, quo scripti sint libri, quaerentes solum

---

[1]) Prisc. p. 408 Hertz: „teste Didymo, qui hoc ponit, ostendens in omni parte orationis et constructionis analogiam Graecorum sequutos esse Romanos.“

Suetonium sequi, Ciceronis autem etsi aequalis rem oratoris modo ornantis et Frontonis testimoniis haud ita multum tribuere possimus, duo modo habemus certa quibus nitamur, primum quod teste Suetonio libri sunt compositi „in transitu Alpium quum ex citeriore Gallia conventibus peractis ad exercitum rediret' Caesar, deinde quod missi sunt ad M. Tullium Ciceronem. Solitus est Caesar quoque anno in Galliam citeriorem proficisci et insequentis anni aut vere aut inita aestate redire. Ita anno 696 (58) in citeriorem Galliam profectus est ac rediit inita aestate anni 697 (57) cf. B. G. II, 2; anni 697 (57) „inita hieme in Illyricum profectus est" (B. G. III, 7) ac revertit, „quum primum per tempus anni (698 156) potuit" (B. G. III, 9); anno 699 (55) inito „maturius quam consuerat ad exercitum proficiscitur" (B. G. IV, 6); anno inito 700 (54) „in Italiam ab hibernis discessit" (B. G. V, 1) eodemque anno conventibus peractis revertitur" (B. G. V, 1); ejusdem anni per hiemem et insequentis initium in Gallia mansit ac demum hujus anni sub finem in Italiam profectus est rediitque initio anni 702 (52), cujus hiemem peregit Bibracte (B. G. VII, 90). Transiit igitur ex Italia rediens Alpes annis 697, 698, 699, 700, 702 (57, 56 55, 54, 52): quam celerrime iter conficit auno 702 (52) inter maximas difficultates rebellione facta totius paene Galliae: ita versatus in summa sollicitudine rebus grammaticis tractandis non videtur vacavisse. Jam quum inde ab anni 698 (56) parte posteriore summa familiaritas intercederet inter Caesarem et Ciceronem et huic temporis spatio maxime convenire videantur libri, solum restat; ut eligamus aut annum 699 (55) aut 700 (54). Extant epistolae anno 700 (54) a M. Cicerone ad Quintum fratrem, qui tum temporis fuit Caesaris legatus et cum eo ex Italia in Galliam videtur rediisse, (Cicero Epist. ad Quintum fratr. II, 15) missae in quibus librorum de analogia non fit mentio. Ita anno 699 (55) libros Caesar videtur composuisse; consentaneum enim non est, etsi aperte non narrat Caesar se hoc anno Alpes transiisse, aberrasse eum ab hac consuetudine.

Venio nunc ad librorum quae extant fragmenta ordinanda atque illustranda. Libros fuisse duos testatur Suetonius et ex utroque complures, qui II fuisse libros significant, locos afferunt veteres. Ex primo libro fragmenta quaedam citantur,

quae in praefatione fuisse elucet, ad rationem dicendi et delectum verborum pertinentia, et praeterea unus de litteris locus, alter de quorundam verborum tum significationis tum declinationis analogia; quae secundo libro nominato proferuntur, omnia spectant ad declinationem. Quae igitur de tota analogiae ratione, de litteris ac syllabis sunt fragmenta, prima libro tribui, reliqua omnia in secundum librum conferenda putavi. Ex numero scriptorum, quibus haec fragmenta debemus, solos Ciceronem Quintilianum Gellium (Noct. Att. XIX, 8: „prolato libro de analogia primo") ipsos legisse quae afferunt constat. Nam quum Charisius praecepta Caecaris afferat ex Plinii quodam libro — ut equidem puto „dubii sermonis" — desumpta, eum Caesaris doctrinam nonnisi ex Plinio novisse facile apparet et reliquos grammaticos ex eodem Plinio vel ex aliis hausisse consentanum est. Pompejus si quae directa oratione ponit Caesaris fragmenta, more suo in hanc formam redegit, quum apud alios quosdam, non apud ipsum Caesarem, haud ita scripta invenisset.

Caesaris de Analogia ad M. Tullium Ciceronem librorum fragmenta.

Liber Primus.

I. Cic. Brut. 75: „Qui etiam in maximis occupationibus ad te ipsum, inquit in me intuens, de ratione Latine loquendi accuratissime scripserit primoque in libro dixerit verborum delectum originem esse eloquentiae tribueritque, mi Brute, huic nostro, qui me de illo maluit quam se dicere, laudem singularem (nam scripsit his verbis, cum hunc nomine esset affatus: „Ac si, ut cogitata praeclare eloqui possent, nonnulli studio et usu elaboraverunt, cujus te paene principem copiae atque in-

I. Nipperdeius p. 753, 1. Lerschius (Die Sprachphilosophie d. Alten) p 132. I. ‚Qui' Nipperdeius cum Schuetzio, ‚quin' Lerschius cum codd. —

ut' Nipperdeius cum Lagomarsin. 53, 68, 70, om. Lerschius c. reliquis.

ventorem bene de nomine ac dignitate populi Romani meritum esse existimare debemus" —): hunc facilem et cotidianum novisse sermonem nunc pro relicto est habendum." —

II. Gell. I, 10: „Vive ergo moribus praeteritis, loquere verbis praesentibus atque id, quod a G. Caesare, excellentis ingenii ac prudentiae viro, in primo de analogia libro scriptum est, habe semper in memoria atque in pectore, „ut tamquam scopulum sic fugias inauditum atque insolens verbum." —

III. Pompeius Comm. Artis Donat. p. 230 Lindemann: Analogia est comparatio. Fit octo modis. Ut sint sex illae partes, quae accidunt nomini ista: qualitas, comparatio, genus, numerus, figura, casus. Ecce sex partes. Exitus syllabarum ut sit similis. Puta illud in us exit et illud in us. Penultimarum ratio ut sit similis, ut aut vocales syllabae sint aut consonantes. Deinde ut tempora sint similia: si illa brevis est, et illa brevis sit. De istis omnibus rebus si unum minus fuerit, jam non stat analogia; de his rebus, quae positae sunt apud Caesarem, si quid minus fuerit, jam non stabit ratio analogiae. Ait enim Caesar: „nisi omnia consentiant inter se, non potest fieri, ut nominis similitudo sit."

IV. Pompeius Comm. Art. Donat. p. 27 Lindem: „Legimus.... apud Romanos XI litteras fuisse tantummodo, ut dicit Caesar libro analogiarum primo. In libro analogiarum hoc dixit, XI fuisse." —

V. Probus Art. min. 28: „Quum omnes artis latores praecipueque Caesar propter rationem metricam et structurarum

---

II. Nipperdeius p. 753, 13. Lerchius p. 132. II. Nipperd. ‚quod — verbum', reliqua om.

Usus est hujus Gellii verbis Macrobius Sat. I, 5, sed extremis mutatis ita: „sic fugias infrequens atque insolens verbum." —

Joannes Saresber. Metalog. I, 15 quaedam addidit: ut nautae scopulum fugiunt, sic fugiendum est infrequens atque insolens verbum."

III. Nipperd. p. 753, 16. Lersch. p. 133. V. Lersch, Analogia — Caesar' om..

IV. Nipperd. p. 754, 6. Lersch. p. 133, III.

V. Nipperd. p. 754, 15. Lersch. omisit. Mai. Auct. Class. V, p. 517.

qualitates singularum litterarum sonos ponderarent, hac ratione semivocales mutis praeferendas iudicaverunt, quod semivocales geminatae ad sonum vocalibus occurrunt, hoc est, ut syllabam facere possint, ut puta: ‚fla ars mons iners' et cetera talia. Ac vero mutae geminatae si vocalibus occurrant, nec syllabam nec sonum scilicet facere possunt. Quis enim ‚b c d k p q t g' geminatas vocalibus misceat et sonum syllabae potest audire?" —

VI. Pompeius Comm. Art. Don. p. 233 Lindem. „Lectum est hoc saepius, praecipue apud Varronem. Ille dicit: ‚lac' non debemus dicere, sed ‚lact.' Sed dixit Caesar contra ipsum rem valentissimam, nullum nomen duabus mutis terminari."

VII. Gellius XIX, 8: „Gaius enim Caesar . . . . in libris, quos ad. M. Ciceronem de analogia conscripsit, ‚harenas' vitiose dici existimat, quod ‚harena' numquam multitudinis numero appellanda sit, sicuti neque ‚caelum' neque ‚triticum'; contra autem ‚quadrigas', etiamsi currus unus, equorum junctorum agmen unum sit, plurativo semper numero dicendas putat, sicut circa ‚arma' et ‚moenia' et ‚comitia' et ‚inimicitias' . . . . Tunc prolato libro de analogia primo, verba haec ex eo pauca memoriae mandavi. Nam quum supra dixisset, neque ‚caelum' neque 'triticum' neque ‚harenam' multitudinis significationem pati: num tu, inquit, harum rerum natura accidere arbitraris, quod ‚unam terram' ac ‚plures terras' et 'urbem' et ‚urbes' et ‚imperium' et ‚imperia' dicamus, neque ‚quadrigas' in unam nominis figuram redigere neque ‚harenam' multitudinis appellatione convertere possimus?" —

VIII. Pompeius Comm. Art. Don. p. 108 L.: „Ait sic Caesar in libris analogiae: „Duae sunt Albae, alia ista, quam no-

---

VI. Nipperd. p. 754, 24. Lersch. tribuit l. II. p. 135, VIII. ‚valedissimam' Lersch. c. pri. man. Guelpherbytani. Mac. Auct. Class. p. 152 ex anonymo grammatico.

VII. Nipperd. p. 755, 4. Lersch. p. 134, VI. —

VIII. Nipperd. p. 754. 28. Lersch. in l. II. contulit, fr. XXIV. „Aricia ex Marsia corruptum, Italia autem inepte pro Latio substitutum a Pompeio videtur." Nipperd.

vimus in Aricia et alia hic in Italia. Volentes Romani discretionem facere istos Albanos dixerunt, illos Albenses.“ Non quoniam nescientes unam derivationem esse hoc feccrunt, Caesar hoc dixit, sed ut facerent discretionem inter colonos, inter illos et istos.“ —

IX. Priscianus p. 14 Hertz: „Unde Pompeiii quoque genetivum per tria I scribebant, quorum duo superiora loco consonantivum accipiebant, ut si dicas „Pompelli.“ Nam tribus I junctis qualis possit syllaba pronuntiari? Quod Caesari doctissimo artis grammaticae placitum a Victore quoque in arte grammatica de syllabis comprobatur.“ —

Liber Secundus.

X. Charisius p. 130 Keil: „Fagus“ Varro de gente P. R. I: „fagus quos Graece φηγοὺς vocant. ‚Fagos’ G. Caesar de analogia: ‚fagos populos ulmos’. —

XI. Charisius p. 135 Keil: ‚Lacer’ an ‚laceris’? Ut ‚tener, puer’. Ultimam enim vocalem si ablativus amiserit, dabit scire qualis esse debeat nominativus. Ovidius: „Mille lacer spargere locis,“ quod ita dici debere et Caesar de analogia libro II nec non et Valgius de rebus per epistulam quaesitis disputant.“ —

XII. Priscianus p. 248 Hertz: „In ‚is’ desinentia longam cujusque sint generis Latina ablata ‚s’, addita ‚tis’ faciunt genetivum . . . . . ‚hic’ et ‚haec Samnis’ ‚hujus Samnitis’. Sic Caesar de analogia.“

XIII. Priscianus p. 249—50 Hertz. „Illa quoque tam in

IX. Nipperd. p. 754, 9. Lersch. p. 133, IV.

„Pompeii“ Nipperd. et Lersch. „Pompeiii“ pro „Pompelli“ Nipperd. et. Lersch. „tribus III“ Lersch. Nam postremum ‚i’ pro vocali est accipiendum“ post „pronuntiari“ addunt Nipperd. et Lersch.

X. Nipperd. p. 755, 18. Lersch p. 138, XXI.

XI. Nipperd. p. 755, 20. Lersch. p. 135, IX „o miserit“ Nipperd. „omiserit“ Lersch. cum. edd. „quod ita dici docet“ Nipperd., om. Lersch. „et“ om. Lersch. „disputant“ om. Nipperd. et Lersch.

XII. Nipperd. p. 755, 25. Lersch. p. 135, X. „generis sint“ Nipperd. „et addita“ Lersch.

XIII. Nipperd. p. 755, 29. Lersch. p. 136, XI. Probus d. Cath. Nom. p. 1461 Putsch.

er’ finita nomina regulam servant in ‚er’ terminatorum, id est accepta ‚is’ faciunt genetivum, ut ‚hic pulvis’ et ‚pulver pulveris,’ ‚hic cucumis’ et ‚cucumer cucumeris’, ‚hic cinis’ et ‚ciner cineris’, ‚hic vomis’ et ‚vomer vomeris’. Praeterea Caesar declinat, ‚pubis puberis’, quidam ut Probus pubes puberis, quidam puber puberis.“ —

XIV. Priscianus p. 250 Hertz: ‚Haec pollis pollinis’ sic Charisius. Probus autem et Caesar hoc ‚pollen pollinis’. —

XV. Charisius p. 144—45 Keil.: ‚Turbo Turbonis, si proprium sit hominis nomen; ‚turbinis’, si procellam voluerimus exprimere, aut in eo, inquit Plinius, qui est in lusu puerorum. Sed Caesar de analogia II ‚turbonem’, non ‚turbinem’ etiam in tempestate dici debere ait, ut ‚Cato Catonis’ non ut ‚homo hominis’. —

XVI. Quintil. I, 5: Neque enim jam ‚Calypsonem’ dixerim, ut ‚Junonem’: quamquam secutus antiquos G. Caesar utitur hac ratione declinandi. Sed auctoritatem consuetudo snperavit.

XVII. Charisius p. 122—23 Keil: Ac ne illa quidem ratio recepta est, quam G. Caesar ponit in femininis „ut puppi resti pelvi’. Hoc enim modo et ‚ab hac cani’ dicemus et „ab hoc cane.“ —

XVIII. Charisius p. 141 Keil: ‚Panium’ Caesar de analogia libro II dici debere ait. Sed Verrius contra: Nam ‚i’ detracta ‚panum’ ait dici debere. Neutrum autem puto posse dici, quia de his est nominibus, quae, cum pondere numero

XIV. Nipperd. p. 756, 3. Lersch. p. 136, XII. Probus d. Cath. Nom. p. 1448 Putsch.

XV. Nipperd. p. 756, 5. Lersch. p. 136, XIII.

XVI. Nipperd. p. 756, 10. Lersch. p. 136, XIV.

XVII. Nipperd. p. 756, 14. Lersch. p. 136, XV. Ita cum Nipperd. Keil: „puppim restim pelvim“ „et ab hoc cani et ab hoc juveni pani;“ aliquid intercidisse putat, „quibus cum de nominibus quae incusativum in im faciunt, tum de iis quae similem genetivum nominativo habent, praescriptum erat.

„puppim“ rell. Lersch. „ab hoc cani et ab hoc cane“ Lersch.

XVIII. Nipperd. p. 756, 30. Lersch. p. 137, XIX.

mensuraque constent, semper sunt singularia. — cf. Charisius p. 90 Keil. —

XIX. Charisius p. 141 Keil: „Partum’ Caesar in analogicis, harum partum, Cornelius Nepos inlustrium XV et Ennius: jamque fere quattuor partum, quoniam ‚ab hac parte’ facit et has partis. ‚Sed consuetudo’, inquit Plinius, ‚ut praegnatium optimatium’. —

XX. Charisius p. 119 Keil: „Plinius Secundus ‚animal’, non ‚animale’ ait dici debere. G. Caesar, quasi indiscretum hoc sit, ait l littera nominativo singulari neutra finita nomina eandem definitionem capere, quam capiunt l littera terminata, ‚huic animali’ et ‚ab hoc animali’, ‚huic puteali’ et ‚ab hoc puteali’. —

XXI. Charisius p. 122: „Omnium nominum quae sunt neutri generis et in e terminantur ait Plinius. Caesarem scisse eosdem esse ablativos, quales sunt dativi singulares“ —

XXII. Charisius p. 133 Keil: „Jubare’. Plinius ait inter cetera, etiam istud G. Caesarem dedisse praeceptum, quod neutra nomina ‚ar’ nominativo clausa per ‚i’ dativum ablativumque singularis ostendant, jubar tamen ab hac regula dissidere. Nam ut ‚huic jubari’ dicimus, ‚ab hoc jubare’ dicendum est, ut ‚huic farri’ et ‚ab hoc farre’. — cf. Charisius p 122: „Ar“ litteris nomina neutralia terminata item non minus, ait Caesar, quia dativo et ablativo pari jure funguntur, ut idem Plinius scribit.“ —

XXIII. Gell. IV, 16: „G. etiam Caesar gravis auctor La-

XIX. Nipperd. p. 756. 32. Lersch. p. 137. XIX.

XX. Nipperd. p. 756, 20. Lersch. p. 136, XVI.

‚ab hoc animali’, ‚huic puteali’ om. Lersch.

XXI. Nipperd. p. 756, 17. Lersch. p. 137, XVII. Lersch. add. „Aplustre“ ante „Omnium.“

XXII. Nipperd. p. 756, 25. Lersch p. 137, XVIII. „Jubare“ om. Nipperd. „Jubar“ Lersch.

Nipperd. p. 756. Lersch. p. 137. XVIII. ‚idem’ pro ‚item’ .Lersch. cum. edd. ‚quod’ pro ‚quia’ Nipperd. et Lersch.

XXIII. Nipperd. p 757. 1. Lersch p. 138, XX. „omnia istiusmodi“ dativos singul. declinat. IV.

tinae linguae.... in libris quoque analogicis omnia istiusmodi sine ‚I’ littera dicenda censet. —

XXIV. Gell. IX, 14: „Sed G. Caesar in libro de analogia secundo ‚hujus die’ et ‚hujus specie’ dicendum putat. Ego quoque in Jugurtha Sallustii summae fidei et reverendae vetustatis libro ‚die’ casu patrio scriptum inveni.“ —

XXV. Charisius p. 110 Keil: „Is homo’ ‚idem’ compositum facit, nisi quia Caesar libro II singulariter ‚isdem’ pluraliter ‚idem’ dicendum confirmat. Sed consuetudo hoc non servat. — ‚Se’ et ‚sese’ pronomina ita distinguit, ut se dicamus, cum aliquem quid in alium fecisse ostendimus, ut puta ille dicit se hoc illi fecisse; cum autem in se ipsum, tunc dicamus ‚sese’, velut: dixit sese hoc sibi fecisse. —

XXVI. Isidor. Orig. XI, 2, 33: „Mortuus autem ex qua parte orationis declinetur incertum est. Nam sicut ait Caesar, ab eo quod est morior in participio praeteriti temporis in TVS exire debuit per unum scilicet V, non per duo. Nam ubi geminata est littera V, nomen est, non participium, ut ‚fatuus arduus’.“ —

XXVII. Priscianus p. 239 Hertz: „Quamvis Caesar non incongrue protulit ‚ens’ a verbo ‚sum es’, quomodo a verbo ‚possum potes’: ‚potens’.“ —

Gell. VII, 9: „Sic et Marcus Tullius et Gaius Caesar ‚mordeo memordi’ ‚pungo pepugi’ ‚spondeo spespondi’ dixerunt.“ —

Velius Longus de Orth. p. 2244 Putsch: „Hoc lutum’

XXIV. Nipperd. p. 757, 3. Lersch. p. 138, XXII. „Ego — inveni“ om. Nipperd.

XXV. Nipperd. p. 757, 5. Lersch. p. 138, XXIII. post „facit“ lacunae notam ponit Keil. „singulariter idem pluraliter isdem“ Keil. ‚singulariter’ delendum et ‚et’ post pluraliter addendum censet Nipperd. ‚singulariter idem pluraliter iidem’ Lersch. ‚pluraliter iisdem’ Putsch. ‚dicamus sese geminari’ Lersch. c. Putsch.

XXVI. Nipperd. p. 757, 11. Lersch. p. 139. XXVI. „scilicet“ om. Lersch. „nomen est non, participium“ Lersch.

XXVII. Nipperd. p. 757, 16. Om. Lersch.

atque ‚macellum' singulari exire memento, licet Memmius ‚ista macella' dicat et Caesar ‚luta'. —

Hos locos tamquam ex Caesaris de analogia libris desumptos in librum secundum contulit Lerschius (p. 139. fragmt. XXV et p. 135 fragmt. VII), summa, ut mihi videtur, injuria. Nam quum utroque loco Caesar appelletur una cum viris, quos libris propriis grammaticae doctrinae operam non dedisse et has verborum formas in aliis quibusdam libris scripsisse constat — Memmii tribuni plebis a u. c. 643 orationes extabant, ex quibus loci leguntur apud posterioris temporis grammaticos, velut apud Priscianum (p. 386 Hertz.) — et a Caesare haec usurpata esse non in libris analogicis, sed in aliis scriptis consentaneum est Praeterea pluralis ‚luta' pugnare mihi videtur cum ratione, quam dedit Caesar frgmt. VII. Jure igitur Nipperdeius hos locos in fragmentorum numerum non recepit.

Jam quomodo in quoque praecepto usus sit analogia et quae doctrinae vestigia in scriptis ejus inveniri possint indagemus servato fragmentorum ordine. Sed antequam ad ipsa praecepta illustranda accedamus, quae ratio inter Caesaris doctrinam et eam quam in libris sequutus est intercedat, quaeramus.

Sequutum esse in scriptis ipsius praecepta Caesarem, et omnino verisimillimum est et testatur Gellius (IV, 16): quod si testimonium ad unum modo praeceptum pertinet, tamen facile colligitur, Caesarem declinasse vocabula in scriptis eodem modo, quo praeceperit declinanda. —

L. I. Fr. I. Apparet ex hoc potissimum fragmento, quod libri missi sunt ad Ciceronem: cujus rei praeterea mentio fit modo apud Gellium. Locus hic ex libri primi praefatione ut videtur desumptus ad grammaticam et analogiam non pertinet, rationem potius ostendit dicendi quam sequutus sit orator et rerum scriptor, et causam, cur Ciceroni libros miserit Caesar. Jam quum uterque sermonis puri atque elegantis esset studiosissimus tamquam socio in modo dicendi ac propter magna in litteras merita hoc in genere principi libros Caesar misit eximiamque laudem addidit, etsi aliam grammaticae rationem sequutus est Cicero, qui non omnia analogiae, sed multum tribuit usui, quod testantur ipsius verba: usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi (Orator. 48). Affatus est

igitur Caesar initio libri primi Ciceronem laude sua significans, cur dignissimum, cui libros mittat, eum putaverit.

Fr. II. eodem pertinet ac praecipit, quomodo perveniri possit ad puritatem sermonis: jubet sequi communem loquendi usum et evitare quae recentiorum vel veterum dixerit quis scripseritque insolita. Aperte ita eloquitur, quod summa diligentia sequutus ipse omnes antecelluit sermonis castitate, quod sequuti viri quos classicos vocamus ad summum evexere litteras splendorem. —

Fr. III. Pompeius quamquam octo esse numero rationes analogiae dixit, novem enumerat, Sergius (p. 1846 Putsch.) illud „ut tempore sint similia" omisit, ita ut conveniant cum numero, praeterea plane easdem affert Caesare non appellato. Dividit uterque rationes, unam partem nomini accidere memorans, altera cui accidat omittens significare. Legimus apud Dionysium Thracem (*Γραμματική* Bekker Anecd. p. 629—643. §. 14): „*Παρέπεται δὲ τῷ ὀνόματι πέντε: γένη, εἴδη, σχήματα, ἀριθμοί, πτώσεις.*" Hunc ordinem mutasse et *εἴδη* ante *γένη* posuisse Apollonium, Herodianum et Romanum testatur Choeroboscus (Bekker Anecd. p. 1177): *Ὁ μὲν Διονύσιος τὰ γένη προέταξε τῶν εἰδῶν, οἱ δὲ περὶ Ἀπολλώνιον καὶ Ἡρωδιανὸν καὶ Ῥωμανὸν τὰ εἴδη προτάττουσι τῶν γενῶν, ἐπειδὴ ὅπου μὲν γένος ἐκεῖ καὶ εἶδός ἐστι παρὰ τοῖς γραμματικοῖς, ὅπου δὲ εἶδος οὐ πάντως καὶ γένος ἐστί.*" Servarunt hunc ordinem omnes Romani grammatici accuratissime: Charisius p. 136 Keil. „Nomini accidunt qualitas, genus, figura, numerus, casus." Diomedes p. 320 Keil. „Nomini accidunt observationes hae: qualitas, genus, numerus, figura, comparatio, casus." Asper p. 1728 Putsch: „Nomini accidunt quinque: qualitas, genus, numerus, figura, casus. Donatus p. 1743 Putsch: „Nomini accidunt sex: qualitas, comparatio, genus, numerus, figura, casus." Sergius l. c. Priscianus p. 57 Hertz. „Accidunt igitur nomini quinque: species, genus, numerus, figura, casus. ‚*Εἶδος*' igitur per ‚speciem' vertit Priscianus, per ‚qualitatem' reliqui omnes, ‚*γένος*' per ‚genus', ‚*σχήματα*' per figuram rell., ‚comparationem' nonnulli addiderunt, ‚qualitatem' vel ‚speciem' ad unum omnes posuerunt ante ‚genus'. Jam quum ante Apollonium non fuisse accidentium hunc ordinem

constet, apparet injuria eum tribui Caesari. Praeterea multae sunt causae, cur totum locum abjudicandum putemus a Caesare. Enumeratur a Pompeio aliisque comparatio, omiserunt ii qui plane sequuti sunt Graecos, velut Priscianus: Graeci enim posuerunt inter εἴδη. ‚Comparatio' autem hac significatione nondum legitur apud Varronem; invenitur pro ea „contentio" (de L. L. VIII, p. 447 Spengel), ‚genus augendi' (p. 430 Spengel.), pro comparativo ‚medium' (p. 448 Spengel), et posteriore demum aetate hanc accepit comparatio significationem, antea, ut apud Varronem, eadem fere erat quae ‚analogia'. Jam siquis putat, pro ‚analogia' ‚comparationem' hoc accipi posse loco, inepte facit, nam posita est inter rationes analogiae. Maxime autem totius controversiae illius decursus obstat, ne tribuamus Caesari tot et tam certas analogiae rationes, quae inveniuntur excultioris demum grammaticae aetate. Varro rationes dedit quatuor (d. L. L. X, p. 556 Spengel), auxerunt numerum alii, plurimas statuit Herodianus (Cramer Anecd. Oxon. IV, 333): „*Τὸ ὅμοιον ἐν τοῖς ὀνόμασιν ἢ γένει ἢ εἴδει ἢ σχήματι ἢ ἀριθμῷ ἢ τόνῳ ἢ πτώσει ἢ καταλήξει..... ἐν παρατελεύτῳ συλλαβῇ, ἐν χρόνῳ, ἐν ποσότητι συλλαβῆς, πολλάκις δὲ καὶ ἐν ἐπιπλοκῇ συμφώνου.*" Harum plurimae conveniunt cum iis, quas Pompeius tribuit Caesari; tamen sequi non possum Steinthalium, qui Pompeii locum ex Herodiano translatum esse censet (Gesch. d. Sprachw. p. 517).

Jam si eadem statuisset Caesar quae Herodianus finita controversia, non opus fuit post Caesarem certare, quum non opus fuisset post Herodianum, et nihil omnino profecissent per duo saecula grammatici.

Persuasissimum igitur mihi est Pompeium analogiae rationes quae tum ferebantur tribuisse, quo plus habeant auctoritatis, Caesari gravissimo grammatico. Praeterea „res, quae positae sunt apud Caesarem" dictum est satis indefinite et quae sequuntur: „nisi" rel. Caesaris esse possunt, quae quum nescio quo loco legisset Pompeius, interpretatus et commentatus est ita, ut vulgarem tum temporis analogiae explicationem tribueret Caesari. —

Fr. IV. Tradit Priscianus (p. 11 Hertz.) accepisse Latinos a Graecis sedecim litteras et servasse antiquitatem perpetuam; totidem litteras a Gracis acceptas enumerat Marius Victorinus (p. 2458 Putsch.): „a b c d e i k l m n o p q r s t." Urumque verisimile est hausisse ex Varrone, qui numero sedecim fuisse litteras apud Romanos antiquissimas statuit teste Pompeio (p. 27). Euandrum has sedecim litteras in Italiam transtulisse narrat Marius Victorinus (p. 2468 Putsch.) et eandem sententiam videntur habuisse omnes veteres. Singulare autem atque inauditum est, quod refert hoc loco Pompeius, auctore Caesare undicem fuisse primas litteras. Unde hoc Pompeius hauserit, haud liquet, quum ipsum non legisse Caesaris libros pro exploratissimo sit, et omnino vix est credendum Caesarem hoc statuisse. Fortasse erravit in transscribendo Pompeius aut jam scriptum invenit perperam XI pro XXI, quem numerum statuit tum Cicero (d. N. D. II, c. 37) tum ex recentioribus Mommsenius (Unterit. Dial. p. 28).

Fr. V. Jam si haec accepimus eodem modo, quo refert Probus, nequaquam poterit inveniri, quo consilio his de rebus tractaverit Caesar, quum ‚de ratione metrica' et ‚de structurarum qualitate' — structura apud veteres grammaticos significat compositionem enuntiationum (Valer. Probus p. 1489 Putsch. Diomedes p. 468 Keil.) — quaesisse eum ita, ut solas has respiciat, vix sit credendum. Maximam affert lucem fr. VI: quod si conferimus, apparet cur de ejusmodi rebus Caesar disseruerit. Quum sola analogiae ratione adhita fieri posset, ut repugnaret, quod illa postulabat, cum vi ac natura litterarum ita, ut nusquam reperiretur simile verbum similisque sonus, Caesar indolem litterarum respiciens, quae conjungi possint in vocibus Latinis, quae non, novam regulis analogiae normam adjecit et loquendi usui inconstanti legem imposuit. Atque his de rebus considerantem eum non modo aures, sed etiam analogiam quandam esse sequutum, ex eo elucet, quod legimus in fr. VI: „nullum nomen duabus mutis terminari": quum vidisset, alia verba non inveniri terminata ex harum analogia ita dijudicavit. In libris de lingua Latina Varronem lact dicendum statuisse testatur Valerius Probus (p. 1445 Putsch.) Jam quum libri de lingua Latina posteriore tempore sint scripti quam Caesaris libri de analogia, mirum nos habere debet, quod refert Pompeius,

contra Varronem hoc dixisse Caesarem. Mihi quidem persuassimum est, Pompeium utrumque separatim memoratum invenisse et ratione non habita temporis ita connexisse. Qui eadem de re tractat locus Cledonii (p. 1904 Putsch) adeo est corruptus, ut nihil possit afferre lucis; equidem aliquid intercidisse puto, in quo mentio est facta Caesaris. —

Fr. VII. Suscepisse mihi videtur hoc fragmento Caesar analogiae defensionem ostendens, qualis inveniri possit vocabulorum cum rebus, quarum quum natura miro modo consentiat cum vocabulorum declinationibus.

Simili modo analogiam defendit Varro (de L. L. IX p. 502. X. p. 527. p. 581 Spengel.) refutans, quod saepius, qui adversati sunt analogiae, objecerant, alia verba pluralem facere, alia non, quod anomaliae sit, non analogiae, et cum rerum natura optime hoc convenire hancque sequi analogiam ostendens. —

Fr. VIII. Videtur et hoc fragmentum pertinere ad universam analogiam defendendam. Nam quum Caesar hanc vim tribuerit analogiae, ut valeret ad verborum formas secundum significationum diversitatem discernendas, id quod testantur fr. XXXV et XVII, eadem esse in usu communi ostendit, qui et ipse, quo magis perpicuus fiat sermo, similes derivationes ad exprimendam significationum diversitatem secerneret velut dissimiles. Injuria hoc fragmentum, quod quum spectet ad universam analogiam, in librum II contulit Lerschius. Pompeius, ut solet, directa oratione ponit, quod ita scripta non invenit apud Caesarem: derivatio enim posteriore demum tempore hanc significationem accepit certam, quum Vacro adhuc declinandi modum derivationem esse putaret (de L. L. VIII, p. 430 Spengel.) Cf. VIII, p. 418 Spengel. et Charis. p. 106 Keil.

Fr. IX. Tractat hic locus de scribenda littera I pro consonanti accipienda. Nam quum I consonans vocalibus interjecta latius enuntiaretur (Velius Longus p. 2220 Putsch) et sonum habere videretur duplicem, modo scribendi hoc exprimendum censuerunt quum alii tum Caesar, qui hanc quidem rationem sequutus esse videtur, ut differret consonans I a vocali, tum, ne quis conjunctam cum praecedente vocali diphthongum

efficere opinaretur, ad insequentem syllabam potius pertinere ita significans. Ciceronem et ipsum I duplicasse testantur Quintilianus (I, 4, 41) et Velius Longus (p. 2219 Putsch.) tum in vocabulis Latinis tum in Graecis. Priscianus l. c. refert, haud pertinere hanc geminationem ad verba composita, et quod affert Marius Victorinus (p. 2477 Putsch.) „proiiecit" ita scribi videtur solum propter rationem metricam.

Vestigium hujus scripturae apud Caesarem invenimus in codicibus nullum, quum genetivus interdum vel per unum I, Pompei, scriptus sit, alii casus et derivationes semper per unum I. —

Fr. X. Quum usus loquendi in nominibus arborum declinandis nequaquam esset constans et inprimis accusativus pluralis aliorum verborum in ‚os', aliorum verborum in ‚us', ejusdem vel verbi tum in ‚os' tum in ‚us' terminaretur, Caesar ut cum simili significatione conveniret declinatio similis hanc analogiam statuit, ut si dicerent ‚populos' et ‚ulmos', quippe qui semper accusativum in ‚os' facerent, deberent dicere etiam „fagos." Aliam sequitur analogiae rationem Varro in similibus nominibus (de L, L. IX p. 515 Spengel.) Disserens enim de horum nominativo plurali non verborum significationem, sed reliquos respicit casus et hanc ponit proportionem: si ficorum ut nummorum, tum etiam ut nummi ‚fici'. Si tum temporis jam fuissent certa singularum declinationum schemata, satis erat provocasse ad haec, sed tantum aberat, ut essent excultae, ut invenirentur demum, quum de analogiae rationibus quaereretur. Ceterum vel posteriore tempore nondum erat constans usus loquendi in ejusmodi verbis, quo factum est, ut Varro diceret ‚fagus', quamquam nominativum similium verborum in I faciendum censuerat. —

Fr. XI. Ad probandam nominativi formam usus est eadem de ultima vocali ablativo detrahenda regula Charisius alio loco (p. 136 Keil). At nimis late haec regula patet, nam non quisque nominativus ultima littera amissa nominativi formam ostendit. Praeterea non liquet, cur ablativum quidem usurpaverit Charisius, quum et alii casus, velut dativus, qui non differt ab ablativo, aut genetivus postrema vocali detracta nominativum ostendant. Accedit, quod invenitur in hac regula nulla

analogiae ratio. Atque Caesarem quidem tam nude hanc regulam statuisse ne quis putet, conferat quod praecepit ipse (fr. XIII), dici debere in nominativo ‚pubis' non ‚puber'. Quam desiderat haec res lucem, afferet locus Varronis (d. L. L. X. p. 579 Spengel): „si ab singulari quis proficisci volet, id illum facere oportebit ab sexto casu, qui est proprie latinus.“ Maxime igitur idoneum putat ablativum, a quo proficiscendum sit quaerenti de ratione analogiae, ita quidem, ut ablativorum similitudo ad totam valeret declinationem. Sed ut appareat similitudo, antea opus est comparatione, opus est pluribus ablativis: ex uno nequaquam potest colligi, quam sequi debeat analogiam. Hoc modo adhibita comparatione, eandem quam Varro sequutus est Caesar statuens, si ut ‚tenero': ‚lacero', tum ut ‚tener:' ‚lacer' debere dici. Quod non perspexit, sed vix attigit Charisius negligens ratione non habita analogiae rei summam. Eodem modo ablativi analogiam sequutus Plinius non ‚mugilis', sed ut ‚consul', ‚mugil' dicendum statuit, quod testatur Charisius l. c. —

Fr. XII. Quum nominativus singularis inveniretur tum ‚Samnis' tum ‚Samnitis' — ‚Samnitis' legebatur apud Catonem, ut refert Priscianus (p. 337 Hertz.) — vocabulorum analogiam sequutus Caesar in I S cum I longo terminatorum, quae in genetivo T I S faciant in quoque genere, dicendum praescripsit tum masculini tum feminini pro nominativo ‚Samnis', pro genetivo ‚Samnitis', discernens ita hos casus. —

Fr. XIII. Maluit Caesar ‚pubis' dicere quam ‚puber' et 'pubes' analogiam verborum sequutus, ut videtur, in I S terminatorum, quae genetivum in E R I S faciunt: ita enim, non E R, E R I S, dixisse credendus est. Cur non praescripserit ‚puber' dicere, ut celer, haud liquet.

Fr. XIV. Ita Caesarem statuisse, quia vocabuli significatio magis cum neutro genere quam cum masculino convenire videbatur et E N terminatio neutrius est generis propria, mihi quidem persuasissimum est.

Fr. XV. Quum usus discerneret inter nomen proprium ‚Turbonem' et nomen appellativum ‚turbinem', Caesar non opus esse hac discretione, inter appellativa turbonem et turbinem potius discernendum censuit, ut ‚turbo turbonis' procellam, ‚turbo turbinis' eum, „qui est in lusu puerorum“ significaret. Ita equidem accipio, quod Charisius refert: nam quum a Caesaris ingenio consilioque plane abhorreat omnino non facere discretionem, solum restat, ut ita eum distinxisse putemus. —

Fr. XVI. Graeca feminarum nomina in O terminata a veteribus poetis modo Latino sunt declinata, ut testatur Priscianus, qui affert ex Accio (Ribbeck. fr. 386) et Plauto (Aulul. III, 6, 20) ‚Joni' dativum, ex Pacuvio ‚Calypsonem'; ex Ennio ‚Didone', ex Livio ‚Calypsonem'; ‚Gorgonem' legimus apud Ciceronem (in Verrem IV, 56). Posterioris autem poetae temporis Graeco modo declinare sunt soliti: cf. Virgil. Aen. X, 199; ‚Mantus'; IV, 383: ‚Dido' pro accusativo; ‚Callisto' pro dativo. Catull. 66, 66; ‚Jo' pro accusativo Ovid. Ars Am. I, 323; ‚Sappho' pro accusativo Horat. Od. II, 3, 25. Plinium dixisse, consuetudinem facere ‚hanc Callisto' ‚hanc Calypso' ‚hanc Jo' ‚hanc Alecto', testatur Charisius (p. 127 Keil.). Caesar ut solitus est non consuetudinem, sed analogiam sequutus Latino declinavit modo, sic statuens: Calypso ut Juno, itaque Calypsonem ut Junonem.

Fr. XVII. Quamquam hic locus est corruptus, tamen quid praeceperit Caesar, nos fugere vix potest: nam quum ex toto loco eluceat, pertinere hoc praeceptum ad ablativum verborum in IS terminatorum, quem in I faciendum censuit in femininis: ne quis putet, statuisse eum E, obstant verba, quae afferuntur (‚puppis' ‚cani'). Charisius quum studeat ostendere, quae ex Caesaris praecepto sequuta patienda non sint, facere hoc potest statuens inepte declinari femininum quoddam per I, vel masculinum quoddam per E, vel commune tum per I tum per E. Sed quum ex ipsius locis appareat, statuisse eum certam regulam, quae verba I habeant, quae E, modo in ‚canis panis iuvenis', quibus tribuit E (p. 88 Keil), et in ‚communibus' velut ‚suavis', quibus tribuit I, (l. c.), his solis verbis potest uti ad ineptam ostendendam declinationem. Sed quum ‚panis iuvenis' sint masculina, optime cum Caesaris praecepto conveniunt, nihil ei contradicunt, itaque Charisio sola relicta sunt, quibus fretus refellere potuisset Caesarem, communia, quorum in numero est canis (Charis p. 29 Keil.), praeterea modo adiectiva. Ex quibus satis, puto, apparet, cur id, quod legit

Keilius: „et ab hoc iuveni pani" nequaquam sit probandum, legendum potius cum Nipperdeio: ‚et ab hoc cane', aut inserendum adiectivum quoddam. — ‚Puppim' ‚restim' ‚pelvim' invenimus in codicibus et omnibus editionibus, Nipperdeium tamen sequor, qui „ablativós posuit, quia toto Charisii loco de hoc casu agitur." Contra Keilius „intercidisse aliquid putat, quibus cum de nominibus, „quae incusativum in ‚IM' faciunt", tum de iis, „quae similem genetivum nominativo habent" (Charis. p. 33 Keil.) praeceptum erat." Sed quum appareret jam ex verbis, de quibus est actum, agi de his, quae similem genetivo nominativum faciunt, hoc memorare non opus fuit, et pertinere regulam nón solum ad ea verba, quae accusativum in ‚IM' faciunt, sed latius patere testantur verba quae sequuntur; quis enim diceret ‚canim'?

Praeterea quum in codicibus saepius M, si verbum terminabat, non scriberetur, sed notaretur solum linea incurvata ad praecedentem litteram supra addita, facile accusativus potuit confundi cum ablativo, ‚puppim' cum ‚puppi'. Cum tota doctrina et consilio Caesaris, qui omnino nihil aliud spectabat, quam ut certis discretionibus inconstantiae finem faceret, optime hoc praeceptum convenit. Jam vero quum nimis abhorreret a communi loquendi usu haec ratio, non est recepta mansitque quae antea fuerat inconstantia. —

Fr. XVIII. et, quod sequitur, fr. XIX pertinent ad genetivum pluralem tertiae declinationis. Rationem quandam sequutum ita declinasse Caesarem omnino est consentaneum et ‚panium' quum praeterea nusquam inveniri possit, secundum propriam et singularem rationem ita statuisse videtur Caesar. Jam num, haec qualis fuerit, erui possit videamus. Quum ‚panis' vix pluralem faceret et omnino declinaretur ut ‚canis iuvenis' (Charis. p. 88 Keil.), hujus quidem vocabuli significasse videtur exemplo, omnium verborum in ‚IS' terminatorum, quae similem genetivo nominativum habeant, faciendum esse genetivum in ‚IVM'; atque quo magis appareat, quantum valeat analogia ad usum immutandum, hoc verbum elegisse videtur.

Ne quandam analogiae rationem ex fr. XIX eruere tentemus, obstat quod refert Plinius apud Charisium (p. 141 Keil.) „nullam finitionem in monosyllabis fecisse grammaticos."

Ceterum nequaquam a consuetudine abhorruit „partum," quum legeretur apud Ennium et Cornelium Nepotem. —

Fr. XX. Omnium distinctissime hoc fragmentum, quid spectaverit Caesar et quo praecepta dederit consilio, non modo significat, sed etiam declarat ac perspicue, quum in aliis lateat debeatque indagari atque investigari, eloquitur. Ita declinare ac terminare vocabula summopere studuit, ut sono formaque discreparent a similibus aliud significantibus, ita finire quemque casum, ut confundi non posset cum alio: id quod testantur verba: ‚definitionem capere'. Sin vero jam ita invenit terminata, ut permisceri non possent, communis consuetudinis immutatione non opus esse censuit. Jam quum horum neutralium dativo et ablativo, de quibus infra (fr. XXI) tractabimus, tribuisset I differretque hoc modo terminatus a nominativo, etsi finiretur in E, ablativus, non interesse censuit, utrum in E an in LE finiretur nominativus, eadem potius valere — hoc enim significat ‚indiscretum'. Plinius tamen opus esse putavit discretione et distinxit ita, ut iis, quae ablato E duas modo habuissent syllabas, velut ‚monile equile', tribueret LE, reliquis solum L. (cf. Charisius p. 117 Keil.).

Fr. XXI et XXII. Quum omnium fere in AR neutralium terminatus in I ablativus inveniretur in usu, in ablativis neutralium in E consuetudo loquendi nequaquam esset constans, id quod Priscianus, qui velustissimos per E fecisse memorat et ipse statuit E, et Charisius, qui Plinium sequutus E dicendum praescribit, testantur (Priscian. p. 331 Hertz Charis. p. 122 Keil), Caesar, ut neutralium analogia plurimorum ad haec neutralia omnia, et in AR et in E, valeret, tum ut hi quoque ablativi reliquorum, qui et in O et in I (fr. XVII) terminati congruerent cum dativis, proportione et analogia dicerentur, denique ut discretionem inter nominativos et ablativos in E terminatorum faceret, parem fecit ablativum dativo. Apparet ex his fragmentis, Plinii librum, ex quo hausit Charisius, connexum quendam habuisse cum Caesaris doctrina, ita ut haec non modo memoraretur, sed etiam percenseretur a Plinio. Ceterum vix est credendum, ad Caesaris verba expressa esse haec fragmenta.

Fr. XXIII. Agit Gellius hoc loco de dativo quartae de-

clinationis, quem in V faciendum Caesarem praescripsisse refert. Inveniebatur in usu forma tum dativi tum genetivi duplex, in VI et VIS ac contracta in V et VS; Varronem et Nigidium Figulum in VI et VIS declinasse testatur Gellius h. l. atque exempla affert ex Varronis scriptis Non. c. 8. (cf. de Re Rust. I, 2, 19: ‚fructuis'); ‚anuis' dixit Terentius (Heaut. II 3, 46) cf. Priscianus p. 363 Hertz: „vetustissimi tamen inveniuntur eorum nominum etiam in ‚uis' divisas proferentes genetivum". Charis. p. 143. 130 Keil. Dativum in V terminarunt Lucilius Lucretius (III, 985) Sallustius (Jugurth. 6) Cicero — Ep. ad Fam. XIII, 71 et de Fin Fin. III, 17 has formas optimi ostendunt codices — Virgilius (Aen. I, 257 ‚metu'; VI, 465 ‚aspectu'; VI, 698 ‚amplexu'; Georg. IV, 198 ‚concubitu'; IV, 158 ‚victu'; Ecl. V, 29 ‚curru'). Jam quum esset usitatissimus genetivus in VS, dativus autem in VI, grammatici quidem — veteres satis indefinite eos appellat Gellius — quia viderunt nequaquam intercedere rationem inter hos analogiae, a dativo profecti in VI terminatio, cui hanc terminationem tribuerunt sequuti aliorum in I dativorum analogiam, tertiae declinationis proportione, ut ‚patris patri' sic faciendum in VIS censuerunt genetivum, contra Caesar analogiam statuens aliam alio modo dici debere voluit: jam si quaerimus, cnjusmodi haec fuerit, quis est cui non in mentem veniant alia quae sunt de dativis fragmenta? Quibus quum hac ratione, ut dativus diceretur ex similitudine ablativi, praecepisset ita Caesar, eandem rationem esse sequutus his de dativis quaerens est credendus. Atque hujus doctrinae in commentariis inveniuntur vestigia, saepissime codices servarunt formam contractam, interdum omnes, interdum pauci modo et deteriores.

Jam quum Gellii testimonio ad scripta valuisse hoc praeceptum constet, jure Oudendorpius (ad B. G. I, 16, 5) hoc dativos in commentariis sine I scribendos omnes mihi videtur censuisse, Schneiderus et Nipperdeius scripserunt inconstanter et ‚exercitui' et ‚exercitu' rel. auctoritatem codicum sequuti, sed parum constanter, quum interdum anteponerent optimis codicibus deteriores. Ejusmodi dativos affert Gellius (l. c.) ex Anticatone ‚dominatuque', ex libro I Actionis in Dolabellam ‚ornatu', in commentariis codices servarunt fere omnes ‚casu' B. G. VI, 42, deteriores ‚magistratu' pauci B. G. I, 16, unus deterior servavit ‚magistratu', B. G. I, 7, ‚exercitu' B, G. VI, 44, contra codices ‚equitatu' B. G. I, 18 et ‚senatu' B. C. I, 1 scripsit Oudendorpius, quidam codices praeterea servarunt ‚exercitu' B. C. III, 69 et B. G. VII, 29 ‚consensu', unus ostendit ‚portu' B. C. II, 1 et ‚quaestu' B. C. III, 60.

Ex quibus ‚casu' B. G. VI, 42 et ‚exercitu' B. C. III, 69 recepit Nipperdeius. Genetivum in commentariis non invenimus nisi in VS finitum atque ita Caesarem praescripsisse faciendum et dativi comprobat analogia et testatur Marii Victorini locus (p. 2456 Putsch.), quem quum corruptum esse constet: „Licinius Calvus Q litera non est usus: ‚consultum senati' ipse scripsit' et ad G. Caesarem ‚senatus consultum'. Idem ‚optimus maximus' scripsit"‥, ita censeo posse sanari: „‚consultum senati' ipse scripsit, at G. Caesar ‚senatus consultum'; idem ‚optimus maximus' scripsit"…; quod ita scribi postulant ‚ipse' et ‚idem' (cf. Cornutus apud Cassiod. p. 2284 Putsch.).

XXIV. Abhorrere videtur hoc praeceptum ab alia Caesaris doctrina: nam quum praeterea similem semper ablativo dativum statuisset faciendum, hoc loco ablativo parem fecit genetivum. Sed et usu fretus ita declinavit et quandam sequutus est rationem, hanc quidem, puto, ut diversa declinatione diversos casus, genetivum et dativum, similes et obnoxios confusioni, distingueret. In usu haec saepius invenitur forma: legitur apud Plautum: ‚fide' Trinum. I. 2, 80. ‚die' Pseudol. IV, 7, 59, quae servavit vetus codex Camerarii, inferiore tempore ita declinaverunt Sallustius (‚die' Jugurth. c. 52; quod servarunt duo codices Parisini, duo Monacenses et unus Turicensis, c. 79, ubi servarunt modo Parisini. cf. Priscian. p. 366 Hertz. et Servius ad Georg. I, 208.) Livius (‚pernicie' V, 13) Ovidius (Met. VII, 728 ‚fide', III, 341, VI, 506 cf. Priscian. p. 366 Hertz. Horatius (Od. III, 7, 4 ‚fide') Virgilius (Georg. I, 208 ‚die'). ‚Fide die' etiam contra codices apud Plautum, „ubicumque bisyllaba forma metrum opus habet" scribendum censuit Ritschelius; solum ‚rei' non ausus est scribere, quum hanc scripturam in libris invenisset nusquam. Apud Caesarem ipsum servarunt omnes fere manuscripti ‚acie' B. C. II, 23 et ‚meridie' VII, 83, singuli libri ‚fide' V, 13 ‚re' VII, 9 et VII, 56; VII, 16 optimus

codex habet ‚dei', quod potest et ad ‚die' referri et ad ‚diei'. Codices qui commentarios de bello civili continent interpolati et omnino deteriores ‚diei' exhibent B. C. I, 14 et III, 76; omnes autem manuscripti servarunt ‚acie' B. Afr. c. 51. Jam quum bis sit scriptum ‚re', pertinere hoc praeceptum ad monosyllaba etiam est consentaneum. Atque omnium ejusmodi vocabulorum genetivum apud Caesarem in E faciendum et ‚die meridie acie re' scribendum censeo.

Fr. XXV. Hic Charisii locus ut scriptus iuvenitur in codice est corruptissimus, in his enim vorbis: „is homo idem compositum facit nisi quia Caesar libro II singulariter idem pluraliter isdem dicendum confirmat. sed . ." quid ‚nisi quia' particulae sibi velint prorsus non perspicitur, si nihil aliud Cassar praescripsit nisi quod communi usu receptum comprobavit grammaticus, singularem fieri ‚idem'. Itaque Ritschelius, qui hunc locum emendare studet de Epigrammate Sorano (Bonn. 1852.) p. 20 et Ind. Lect. Bonn. hibern. a. 1855, aut aliam singularis formam Caesari tribuisse aut aliud praeterea dixisse Charisium, duas igitur esse sanandi vias, aut addendum aliquid quod interciderit aut mutandam formarum rationem censet. Primam ipse ingressus est viam atque ita putat scribendum: is homo idem compositum et singulariter et pluraliter facit, nisi . . . . Sed modo de singulari, nullo modo de plurali posse cogitari additum pronomini nomen ostendit ‚homo': solent enim veteres grammatici formam, de qua dubitari possit vocabuli quis sit casus significaturi addere eundem alius verbi casum, qui non potest confundi cum alio. Singularis nominativus ‚homo' significat de nominativo agi singulari, ne quis de alio putet casu. De alia via sic pergit Ritschelius: „aliam viam supra significatam insistens Nipperdeius commendavit p. 757, cui turbatus scilicet a librariis ordo verborum sic esse emendandus visus est: „nisi quia Caesar libro II idem pluraliter, singulariter isdem dicendum confirmat." (Ind. Lect. hib. Bonn. a. 1855). Sed nequaquam ita censuit emendandum Nipperdeius, qui ‚singulariter delendum et ‚et' post pluraliter addendum" est suspicatus, ita ut legeretur: „idem pluraliter et isdem" quod recte ei tribuit Keilius Charis p. 110. Legit sine dubio Ritschelius: „delendum et post pluraliter addendum" id quod prorsus ab-

horret a Nipperdeii sententia. Multo autem praestantius est, quod tribuit injuria Nipperdeio Ritschelius, quam quod ipse conjecit Nipperdeius. Prorsus enim convenit cum Caesaris ingenio et indole, quod ipsius formae diversitate utrumque distingui numerum jubens praecepit, plane ab eo abhorret, quum nihil ad perspicuitatem, potius ad obscuritatem valeat, quod ei tribuit Nipperdeius. Praeterea omnino non de pluralis, sed de singularis nominativi formis agitur, tum cur duplices nominativi pluralis formas Caesar statuerit non perspicitur. Altera restat via, quam ingressum esse Nipperdeium opinatus est Ritschelius, ipse tamen non vult ingredi, etsi ita fatetur nihil ad sanam rationem cogitandi desiderari: ac mihi quidem persuasissimum est, ‚**singulariter isdem pluraliter idem**' Caesarem praescripsisse dicendum, quod quum optime conveniat cum tota ratione analogiae, quam semper sequutum esse Caesarem multis exemplis demonstravimus, hoc quidem modo videtur statuisse: ut is, ita isdem. Novavit ita nequaquam de suo: nam quum omnino isdem ex ‚is' et ‚dem' coaluisse constet, servaverunt etiam inferiora tempora hanc formam, ut exempla demonstrant multa, etsi non sunt tot, quot opinatus est Orellius (ad Cic. Orat. p. 119), ex inscriptionum numero repetita. Satis sit apposuisse haec.

Momms. Corp. Iss. N. 1468:
Q·VIBIVS· L· F
DIANAE· V· S
EISDEM· ARAM·
D· S· F· C
Momms. Corp. Iss. N. 576:
ser. sulpic IVS· SER· F· GALBA· COS· PAVIMENTVM
faciendum locavit EISDEMQE· PROBAVIT
Momms. Corp. Iss. N, 577.
II v. 10 EISDEM . . . . FACITO
II v. 14 EISDEM . . . . OPSTRVITO

In libris manuscriptis bis invenitur haec forma, apud Ennium: ‚isdem campus' (Cic. Orat. c. 47) et apud Plautum ‚isdem' (Amphitr. III, 2, 64), ubi servavit codex Vaticanus Ursinianus.

Praeterea ne cum Ritschelio faciamus, obstat quod nequa-

quam est consentaneum, Charisium parem nominativo singulari pluralem proposuisse nominativum. Jam quum a totius loci ratione abhorrere, quae inserenda putavit Ritschelius, sit demonstratum, nihil autem impedire, quin in singulari nominativo ‚isdem' praescripsisse Caesarem censeamus dicendum, satis puto hunc verborum ordinem esse commendatum: „singulariter isdem pluraliter idem." „Idem pluraliter, singulariter isdem" scribere nolui, quia quomodo fieri potuerit, ut locum mutaret singulariter, nequaquam apparet. —

Quum pronomina ‚se' et ‚sese' sine certa distinctione conjuncta cum infinitivo in usu invenisset Caesar, ea opus esse existimans praescripsit, ut ‚se' diceretur, si ad aliud, ‚sese', si ad subjectum vis pertineret verbi. Sed quia ad hoc praeceptum valuit doctrina, quam postulare visa est perspicuitatis et certae distinctionis ratio, subtilior et ab usu communi alienissima, sequuti sunt neque alii neque ipse Caesar servavit scribens, quae grammaticus ad solam doctrinam usus non habita ratione spectans statuerat. Invenitur in commentario de bello Gallico primo ‚se' cum infinitivo conjunctum vicies ter, novies ‚sese', sed nusquam hoc ita, ut verbum retro spectat ad ipsum, semel ita ut ad nullum omnino pertineat verbum (30, 2).

Fr. XXVI. Significationis ratione habita secundum aliorum ejusmodi speciei vocabulorum analogiam mutandas Caesar existimavit formas: non ‚mortuus', sed reliquorum participiorum proportioni ut ‚ortus' sit ‚mortus' dici debere docuit, ne si ‚mortuus' diceretur, forma similis esset adjectivis in VVS terminatis.

Fr. XXVI. Analogiam valere etiam ad nova verba proferenda ex hoc elucet fragmento. Tamen non ita accipiendum est hoc, ut ‚ens' participio usum esse Caesarem putemus, repugnaret enim illud cum praecepto quod dedit de fugiendis verbis inusitatis. Omnino magis pertinere videtur ad totam doctrinam spectandam probandamque ad omnes linguae partes valentem, quam ad formam usui commendandam. — Quae supra de studiis Romanorum orthographicis ante Caesaris tempora exercitis disputavimus, omittere noluimus eo consilio, ut lux inde afferretur ad operam, quam in rem orthographicam contulit Caesar. Quamqnam pronuntiationem multorum vorborum

satis indiscretam atque inconstantem quam accuratissime litteris exprimere studuerant viri docti, tamen temporis decursu pronuntiandi modus adeo est immutatus, ut saepius aliud audiri videretur ac pronuntiatum est priore tempore et scriptum. Iam quum omnino graviores et obscuriores vocales fierent leviores et clariores, factum est, ut quod antea sonuerat per V, propius accederet ad I et per longum tempus sonum haberet inter V et I medium: sed pertinuit haec mutatio modo ad V breve et inprimis ad syllabas, quae non habebant accentum. Rusticana habita est pronuntiatio per V, „postquam exilitas sermonis delectare coepit," quum ab aliis tum a Cicerone cf. Velius Longus p. 2216 Putsch. Caesar quum longissime abesset a nimio antiquitatis studio tum in dicendo tum in scribendo, ne differentia esset inter modum dicendi et scribendi, propter tenuitatem hunc sonum esse litterae I simillimum, omnia istiusmodi per I scribenda censuit. Veterum de ea re testimonia extant haec: Quintilian. I, 7: „Optimus maximus, ut mediam I litteram, qüae veteribus V fuerat, acciperent, G. primum Caesaris inscriptione traditur factum." Velius Longus p. 2228 Putsch: „Antiquis varie scriptitatum est ‚mancupium aucupium manubiae', siquidem G. Caesar per I scripsit, ut apparet ex titulis ipsius, at Augustus per V, ut testes sunt ejus inscriptiones." Cornut. ap. Cassiodor. p. 2284: „‚Lacrumae' an ‚lacrimae', maxumus an maximus et si quae similia sunt, scribi debeant qüaesitum est. Terentius Varro tradidit Caesarem per I ejüsmodi verba solitum esse enuntiare et scribere, inde propter auctoritatem tanti viri consuetudinem factam." cf. Isidor. Orig. I, 26, 15. Accedit locus Marii Victorini (p. 2456 Putsch) quem emendavimus fr. XXIII. Spalding. ad. Quint. l. c. hoc de Caligula ejusque cognominibus dici existimavit allato Suetonii loco (Calig. c. 22): „(Caligula) optimus maximus Caesar vocabatur", summa üt mihi videtur injuria, quum de cognominibus nequaquam esset cogitandum. Quamquam rarissime respectum inscriptionum grammaticis de rebus quaerentes veteres habuerunt grammatici, tamen mirum videri non potest, quod inspexerunt monumenta tanti viri in publico proposita. Nostrae aetati paucissimae modo Caesaris inscriptiones fide dignae relictae sunt, in quibus nihil inveni, quod pertineat ad hunc scribendi

modum. Cornutus testimonio nititur Varronis ex libris de lingua Latina, ut mihi videtur, desumpto, ex quo apparet, paullo post hanc Caesaris rationem in consuetudinem communem esse receptam. Sed nequaquam hujus pronuntiandi et scribendi inconstantiae Caesar finem fecit, nam et paullo post ejus mortem et tempore longe inferiore medius inter V et I sonus pronuntiatus et tum per V tum per I scriptus est Apparet hoc ex duabus inscriptionibus a L. Munatio Planco incisis [1]), quarum altera exhibet: DE·MANVB(iis), altera: DE·MANIB (iis), tum ex loco Velii Longi (p. 2228 Putsch), qui refert Augustum ‚mancupium aucupium manubiae' in titulis scripsisse — quamquam tum ipse tum aequales ejus Messala Brutus Agrippa vel ‚simus' pro ‚sumus' dixerunt et scripserunt (Suet. Aug. c. 87. Marius Victorin. p. 2456 Putsch), deinde ex eo, quod Claudius Caesar, ut medium illum sonum significaret, novam litteram ‚Ⱶ' induxit, denique ex multis posteriorum grammaticorum locis tum V tum I scribendum praecipientibus (Cornut ap. Cassiod. l. c. Marius Victorin. l. c.: „non ut nos per V litteram.")

Postquam Caesaris studia tum grammatica tum orthographica percensuimus, quanti haec sint facienda videamus. Quum qui ante eum rebus grammaticis operam dederant, omnes in singularibus studiis stetissent, effecit principio a Graecis accepto ut ad universam linguam haec valerent, servavit tamen, quod proprium erat Romanorum, ita ut utilitatis et perspicuitatis respectu habito linguam conformaret. Ita quodammodo connexuit utramque disciplinam, Graecam, ex qua principium desumpsit, et Romanam satis adhuc imperfectam et quippe expertem principii vix hoc nomine appellandam et ut erat certarum legum normarumque studiosissimus summa in dandis praeceptis usus subtilitate et propositi constantia primus Romanorum civibus suis ostendit, quomodo sit tractandum de rebus grammaticis et quam late debeat patere excultae ratio disciplinae. —

---

[1]) N. 590. 591. Orelli.

VITA.

Natus sum Albertus Conradus Fridericus Schlitte, fidei evangelicae addictus, Nordhusae die XIII mensis Novembr. anni h. s. XLIII patre Alberto, matre e gente Emmert, quos praematura morte mihi ereptos lugeo. Inde ab anno aetatis septimo gymnasium frequentavi Nordhusanum, unde dimissus cum maturitatis testimonio auctumno anni h. s. LXII Bonnam adii: qua in academia scholas Ritschelii Jahnii a Sybelii Wachsmuthii audivi. Insequentis anni auctumno Berolinum me contuli, ubi Boeckhii Hauptii Jordani Steinthalii scholas frequentavi. Vere anni h. s. LXV Halas demigravi ibique interfui scholis Bergkii Leonis Schalleri nec non Bergkii Graecae societatis fui sodalis. Quibus viris omnibus gratias ago quam maximas. —

THESES.

I.

In Sophocl. Philoct. v. 754 Schneidewini conjecturam: „*Φ. οὐκ οἶδα. N. πῶς οὐκ οἶσθα; Φ. παππαπαππαπαῖ*“ rejiciendam esse.

II.

Platonem in Cratylo statuisse, ad linguam plurimum valere *νόμον*.

III.

Aristotelis (Poet. c. 20) de partibus orationis locum corruptum esse et ita sanandum, ut ejiciatur *ἄρθρον* et hujus verbi quae infra legitur definitio.

IV.

Primum Platonem (Legg. VIII, p. 822) statuisse systema heliocentricum, non aperte quidem, sed ita, ut intelligi possit.

V.

Errare Quintilianum (I, 7, 14) agentem de tempore, quo geminatio vocalium inducta sit. —